DE POLYBII LIBRORUM XXX-XXXIII FRAGMENTIS ORDINE COLLOCANDIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM MARBURGENSIUM

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE I. MENSIS IULII MDCCCLXXI

PUBLICE DEFENDET

AUGUSTUS METZUNG
CASSELLANUS.

MARBURG CATTORUM.
TYPIS N. G. ELWERTI ACADEMICIS.
MDCCCLXXI.

HENRICO NISSEN

PHIL. DR. HISTORIAE P. P. O.

PRAECEPTORI

D. D. D.

AUCTOR.

Polybii ll. XXX—XXXIII reliquiae, quae ad res inde a victo Perseo usque ad motum Hispaniae in orbe terrarum gestas spectant, in editionibus adhuc ordine parum iusto procedunt. Quo reiecto aliam excerptorum seriem et librorum dispositionem probaturo mihi pauca praemittenda sunt, quae quomodo Polybius historiam disposuerit et qualem temporum rationem habuerit breviter doceant.

1) Polybius olympiadibus totam historiam ita disposuit, ut una olympias vel unum vel duos vel tres libros amplecteretur. Quam olympiadum rationem ut cum anno astronomico et pontificali conciliaret, non ex vero anni olympici initio, sed — id quod naturae rei maxime convenit — ex hieme, quae illud sequitur, initium facit eaque quae ab hieme usque ad hiemem facta sunt composuit, qua in re cum solum rerum conexum respiceret modo ab ineunte (XXX. 17. 14) modo ab exeunte hieme (X. 34) ortus est [1]).

2) In describenda unius cuiusque anni historia certo ordine singulas orbis terrarum partes perlustrat. Exorsus enim e Romae et Italiae (Liguriae) historia ad Hispaniae et Africae res narrandas se vertit, tum de Graecia (Macedonia, Illyrico) dicit, deinde, quae in Asia (Pergamo, Rhodo, Bithynia, Galatia, Cappadocia, Armenia, Syria) postremo, quae in Aegypto acciderunt, profert [2]).

---

1) Nissen: kritische untersuchungen über die quellen der 4. und 5. dekade des Livius. 68. Idem in Mus. Rhen. v. XXVI pp. 244—260.

2) Nissen: kritische untersuchungen p. 66.

In ipsis fragmentis[3]) ordine collocandis et ad certum tempus referendis haec tenenda sunt.

1) Praeter argumentum (magistratuum, legatorum nomina, partem orbis terrarum, de qua sermo est) imprimis respici nec ullo modo turbari debet series, qua singulae excerptorum familiae ll. mm. praebentur.

2) Quantum ad libros, de quibus agitur, attinet, proficiscendum est ab excerptis de legationibus exterarum nationum Romam missis (exc. d. l. A), quibus suo loco, sed utriusque familiae ordine servato inserenda sunt excerpta de legationibus Roma ad exteras nationes missis (exc d. l. B) — qua in re cum plane diversae familiae sint A et B, Ursini collocationis ratio nulla habenda est — deinde excerpta de vitiis et virtutibus (exc. Peiresciana) excerpta gnomica (exc. Vaticana) alia et quae praeterea ab Athenaeo, Suida, ceteris servata sunt.

3) Excerptorum d. l. A, quae ex Italiae historia sumpta sunt, magna pars ad anni initium spectat, quo cum statim post novos magistratus, priusquam consules in provincias proficiscerentur, senatus daretur, exterarum nationum legati undique Romam conveniebant[4]).

Quibus praemissis, ad singula ll. XXX—XXXIII fragmenta tractanda accedere licebit. Postea uno quoque ad suum locum et tempus relato de fragmentorum in libros dispositione dicendi locus erit.

Libri[5]) XXX cc. 1—5 (A 93) ad anni 167 initium spectare Livii XLV cc. 19—25 ostendunt. Ceterum Rhodiorum legatos

---

8) De fragmentorum Constantin. familiis et indole cf. Schulzium disserentem de excerptis Constantinianis. Bonnae 1866.

4) Liv. XXXVII. 3. 49. XXXIX. 33. 46. XL. 2. 20. XLI. 48. XLII. 11 ss. XLIV. 19. all.

5) Capita secundum L. Dindorfii editionem (Lipsiae 1866—1868) allata sunt. Literae

A: exc. de legationibus exterarum nationum Romam missis
B: exc. de legationibus Roma ad exteras nationes missis
P: exc. de virtutibus et vitiis (Peirescianum)
V: exc. gnomicum (Vaticanum)

(cc. 4. 5) Philocratem et Astymedem anno ineunte Romae fuisse inde quoque apparet, quod *ἀρχούσης θερείας* (5. 4) altera Rhodiorum legatio Romam petiit. Iam in editionibus sequitur excerptum P. 79 (cc. 6—9), quod Schweighäuserus Valesium secutus, comparato Liv. XLV. 31. libro XXX (i. e. anno 167) tribuit, quamquam in cod. Peiresciano eclogae appositum sit *λογος κη*. Equidem non propter notam illam, quae non necessario ad ipsum, de quo sermo est, fragmentum referenda videtur esse, sed respecto argumento excerptum ad annum 168 et librum XXIX contenderim referendum esse. Primum quod ad Livii locum attinet, quo solo Schweighäuserus fulcitur, et alia occasione data de diversis principum generibus dicitur et alio modo: alia occasione data, quia apud Livium sola res est de Macedonibus Aetolis Acarnanibus, contra apud Polybium agitur de Epirotis, Thessalis, Achaeis, Rhodiis, Cois; praeterea verba »secundis rebus elati Romanorum partis eius fautores soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant« multo melius referuntur ad Polybii verba 10. 2 *τῶν δὲ πραγμάτων ὁλοσχερῶς ἐπὶ Ῥωμαίους κεκλικότων, ἐπιπολάζοντες διὰ τὸν καιρὸν οἱ δοκοῦντες εἶναι φίλοι Ῥωμαίων ἐν πᾶσι τοῖς πολιτεύμασιν, εἴς τε τὰς πρεσβείας οὗτοι καθίσταντο καὶ ταὶ ἄλλας χρείας*. Sed quod multo plus valet, omnino de diversa re apud utrumque sermo est; nam Polybius dicit de condicione *τῶν ἐμπεσόντων εἰς τὰς αἰτίας κατὰ τὸν πρὸς Πέρσεα πόλεμον*, Livius nihil nisi de tribus generibus principum, qui in civitatibus tunc temporis erant, agit. Quae cum ita sint, si ad ipsum fragmenti argumentum refugimus, primum apparet, prima verba *πρότερον ἐπιστήσαντες τοὺς ἀναγιγνώσκοντας ἐπὶ τὴν περὶ Δείνωνος καὶ Πολυαράτου διάληψιν* collatis iis quae exstant in Liv. XLV. 10 »decretum igitur extemplo, ut qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid aut fecisse convincerentur, capitis condemnarentur« ad tempus spectare, quod proxime

significant. Numeri excerptis A et B adscripti ad Vulvii Ursini editionem (Antverpiae 1582) redeunt. Praeterea exc. Peirescianis quoque et Vaticanis, ut melius discerni et afferri possent, continuos numeros apposui secundum Valesii (Parisiis 1534) et Heysii editiones (Berolini 1846).

pugnam apud Pydnam commissam sequitur. Popillius enim, ubi primum de Perseo devicto certior factus est, cum Aegyptum peteret, Rhodum advectus in concione oratione acerba Rhodios increpuit, quod Perseum Romanorum hostem adjuvissent. Qua re illi perterriti celerrime eos, qui a Persei partibus stetissent, capitis reos esse decreverunt et toti in ea re occupati erant. Porro quae Polybiano fragmento de Polyarato docemur, non obstant. Polyaratus in Aegyptum se contulit, unde iussu Popillii a Ptolomaeis domum missus est. Quo priusquam perveniret ad Phaselitas, Caunios, postremo Cibyratas aufugit et cum nullius auxilium impetrasset, Romam ductus est. Quae omnia quominus anno 168 facta esse statuamus, quid obstet non video. Accedit, quamquam non nimis presserim, quod Livius ineunte anno 167 Astymedem legatum dicentem facit »de Polyarato et Dinone et iis, quos ut traderemus vobis adduximus« [6]). Denique tota argumenti indoles eo nos adducit, ut fragmentum non ita multo post pugnam apud Pydnam commissam, vel, ut aliis verbis utar, in fine anni 168 collocemus. Omnino enim non tam id agitur, quali poena ii, qui a Persei partibus steterant, affecti sint, quam explicatur, quomodo hominum animi pugna illa affecti sint, quid singuli exspectaverint (7. 7. *τοιγαροῦν εἰκότως οὗτοι καὶ δικαιολογίαν καὶ κρίσιν ὑπέμενον καὶ πάσας ἐξήλεγχον τὰς ἐλπίδας*). Quibus de causis mihi quidem persuasum est, fragmentum e libro XXX eiiciendum et anni 168 historiae Rhodiae tribuendum esse.

Quo ordine cetera fragmenta ad a. 167 spectantia procedere debeant, Livius docet. Primum ad iter, quod Aemilius aliquot mensibus per Graeciam fecit fragmentum V. 135 (15. init.) et ea, quae Suidae debentur (15. 1a. 1. 2. 3. 4), pertinent (cf. Liv. XLV. 27. 28) [7]). Iam sequitur A. 94 (c. 10. cf. Liv. XLV. 31). V. 136 (15. 4) ad ludos spectat, quos Aemilius rebus Macedoniae et Graeciae compositis Amphipoli fecit (Liv. XLV. 32).

---

6) XLV. 22.

7) Liv. XLV. 27 verba „auctumni fere tempus erat“ profecto ad a. 168 referenda sunt.

Quo pertineat Strabonis locus (15. 5. 6), ex Liv. XLV. 34 apparet, ubi Paulus, priusquam in patriam redierit, septuaginta Epirotarum urbes diripuisse dicitur. Arctissime cum illo videtur quidem cohaerere P. 81 (14. 7—9), quod iusserim proxime antecedere. Nec magnum certe inter P. 81 et P. 80 (14. 1—6) intervallum statuendum est propter prima alterius fragmenti verba ὅτι κατὰ τὴν Ἤπειρον παραπλήσια τούτοις ἔπραττον [8]). Restat Athenaei locus (XIV. 615 A—E. c. 13) quo de ludis sermo est, quos L. Anicius, postquam Quirinalibus de Genthio et Illyriis triumphavit, populo dedit. De qua re quamquam Livius annales secutus nihil praebet, tamen, dum alia vestigia desunt, statuere licebit, narrationem istam cum ipsius triumphi descriptione coniunctam fuisse. Iam inde difficultas nascitur, quod triumphus Anicii medio mense Februario anni 166, vel secundum nostram rationem circa Kal. Dec. a. 167 actus est, cum fragmenta ex historia sequentis anni petita (A. 96. 97) ad ineuntem a. 167 hiemen spectent. Nam si rerum conexum servare studes, fragm. in historia a. 166 collocabis, contra temporum rationem habenti tibi exc. ad a. 167 referendum erit. Priorem rationem si sequeris, ita argumentaberis, ut dicas, belli Persici historiam a Polybio sine dubio triumphis imperatorum descriptis finitam esse, nec cogitari posse, Polybium in historia anni 166 bellum illud repetiisse solo Anicii triumpho narrato, quippe qui secerni non posset ab Aemilii Pauli et Octavii triumphis. Habet haec argumentatio, quo commendetur, cum praesertim fulciatur Livii rerum dispositione, tamen altera ratio magis placet. Ludi enim illi triumphales certe inter eas res referendi sunt, quas Polybius modo Romam transvectus primas vidit, quibus haud modice tactus et commotus est, quae semper in animo eius haeserunt, quas propter id ipsum suo loco et

8) Ceterum ipse confiteor, hanc fragmentorum collocationem (A. 94. V. 136. P. 80. 81. Strab.) satis dubiam esse, quia certa testimonia e Livio afferri non possunt. Dindorfius hoc quoque loco nil nisi Schweighäuseri ordinem in suam editionem recepit, quamquam ille alium rectiorem ipse proposuit VII. 695. 697.

tempore descripsisse putandus est. Postremo ad anni 167 res Aegyptiacas A. 95 (c. 11) pertinet.

Ab excc. A. 96. 97 (c. 12. 16. 17) novum annum (ol. 153. 2. 166) incipere argumentum docet; ante hiemem Prusiam Romam venisse et inde domum abiisse ex c. 17. 14 apparet (cf. Liv. XLV. 44). Sequitur eiusdem familiae exc. 98 (c. 18). V. 137 (c. 18a), quod Bekkerus inter cc. 18 et 19 collocavit, ex Italica historia minime petitum est, quia nec capiti 18 inseri, nec illi postponi potest propter ultima verba[9]. Itaque ad Graeciae potius historiam referendum et post A. 99 collocandum erit, nam de anno profecto non dubitatur. Iam servato fragmentorum ordine ll. mm. tradito locum habent exc. A. 99 et (interposito V. 137) A 100 (cc. 19. XXXX. 1). Porro ad a. 166 spectare videtur exc. V. 138, quod Bekkerus in fine libri XXXI posuit. Nam primum ex serie excerptorum Vat. apparet, hoc fragmentum inter a. 166 (V. 137) et 163 (V. 139: XXXI. 10a) collocandum esse, deinde argumento docemur, sermonem esse de Lyciis et Caribus, qui sunt *οἱ τὴν περαίαν* — agrum Rhodiorum ditionis in opposito continente situm — *κατοικοῦντες*, in libertatem vindicatis. Iam cum libertas illis data sit a. 167 (Pol. XXX. 5. 12) quia elucet, haec verba non ita multo post dicta esse, anno 166 fragmentum videtur tribuendum esse. Orationis enim non sententiae ab ipso scriptore prolatae particulam excerpto contineri, ex tempore praesenti (*εἰσίν*) constat. Ad quam orationem verba referenda sint, hoc sane enucleari nequit. A legato Rhodio in senatu dicta esse statuerem, nisi, quominus historiae Italicae anni 166 fragmentum tribueremus, ordo excc. Vaticanorum obstaret. Postremo ex anni 166 historia Syriae fluxit exc. A. 101, cui praemittenda sunt, quae Athenaeus de Antiochi Epiphanis ludis servavit (cc. 3—5. libri XXXI)[10]. Itaque decem fragmenta ad a. 166 pertinent, quorum quinque ex Italiae, unum e Graeciae, duo ex Rhodi, duo ex Syriae historia sumpta sunt.

---

9) *καὶ τὰ μὲν κατὰ τοὺς Ἀθηναίους τοιαύτην ἔσχε διάθεσιν.*
10) cf. p. 29.

Excerptum A. 102 (XXXI. 2) quia ad Italiae historiam redit, sequenti anno (ol. 153. 3: 165) tribuendum est. Praeterea nihil nisi eiusdem familiae fragm. 103 (XXX. 20. 1), quocum sine dubio coniungendum est P. 82 (XXX. 20. 2—8), huc spectat.

Ex historia ol. 153. 4 (164) excerpta A. 104. 105 (cc. 6—8) petita sunt, quibus de Italia agitur.

Sequens de legationibus excerptum A. 106. (c. 9) in propatulo est ad annum 163 (ol. 154. 1) pertinere. Tiberius enim, qui Cammanos sub Romanorum imperium subegisse dicitur, non ad legatum ad res Asiae inspiciendas missum (Pol. XXXI. 5. 1), qui Cammanos i. e. partem Cappadociae subegerit, referendus est, id quod Schweighäuserus voluit, sed Ti. Sempronius P. f. Ti. n. Gracchus anni 163 consul fuit (fasti cons. Cap.), qui bellum contra Cammanos vel Commonos, gentem Ligusticam inter Massiliam et Niceam prope mare habitantem gessit (Liv. ep. lib. XLVI). Propterea dubium non restat, quin ab hoc fragmento novus annus et nova olympias incipiat. Cui anno 163 praeterea tribuenda sunt A. 107 (c. 12) 109 (c. 14) quae ad Italiam spectant. Respecto illo, de quo supra dictum est, circuito, ut ita dicam, historiae a Polybio constituto iam proxime ponenda sunt excerpta ex Rhodia historia A. 110 (c. 16) A. 111 (c. 17). Quibus quod Bekkerus apposuit V. 143 (c. 17a) ad annum 160 potius referri debet. Deinde Pergami anni 163 historiae dandum erit P. 83 (c. 10), nam Gallus[11], qui omni modo in Eumenem invehitur, non dubito quin idem sit, quem eo anno cum Manio Sergio ut consilia Antiochi et Eumenis exploraret in Asiam missum esse, c. 9. 8 docemur. Nec a veritate aberrabit, qui exc. V. 139 (c. 10a) illi annectendum esse statuet. Sequuntur e Cappadociae historia sumpta exc. A. 112 (c. 15) B. 108 (c. 13), quorum prius antecedere debet, quia non ante amicitiam cum Ariarathe a senatu renovatam legati Roma in Capadociam mitti poterant (c. 14). Ceterum de priore legatione ad Ariarathem missa (13, 1), cuius princeps dicitur M. Iunius, aliunde nihil compertum habemus, altera missa est nuntio mortui

11) C. Sulpicius C. f. C. n. Galus a. 166 consul (fast. Cap.).

Antiochi Romam allato (12. 9). Ad Syriam spectat exc. P. 84 (c. 11), quod non ante a. 163 collocari posse antecedens eiusdem familiae exc. P. 83 docet, non post a. 163 ex c. 12. 4 (*Δημήτριος*) *παρακαλῶν κατάγειν αὐτὸν εἰς τὴν βασιλείαν· καθήκειν γὰρ αὐτῷ μᾶλλον ἢ τοῖς Ἀντιόχου τέκνοις τὴν ἀρχήν* apparet, quae verba ante Antiochum mortuum Demetrius facere non poterat. Breve fragm. V. 141 (c. 15 b) ex numero eorum est, quae certo loco collocari omnino nequeunt. Cum verisimillimum sit, proximum Vaticanum exc. (140) ad a. 162 pertinere, et cum sequens (142 : 24. 3—4) ex anni 160 historia Italiae petitum sit, V. 141 aut ad a. 162, aut a. 161 referri licet. In antecedentibus Pergami historiam Rhodiam sequi iussi, sed minime obstiterim, si quis illam praeponendam esse statuerit.

Ad a. 162 (ol. 154. 2) primum spectat (quia ad Italiam historia redit) exc. A. 113 (c. 18), cui asserendum est proximum de legationibus excerptum A. 114 (cc. 19—23. 12). Parvum enim temporis spatium ponendum esse inter senatus consultum de dividendo Aegypto datum et Demetrii fugam, inde apparet, vel videtur apparere, quod Menyllus Alabandensis, qui Romae versabatur a Ptolemaeo Philometore missus *χάριν τοῦ συγκαταστῆναι καὶ δικαιολογηθῆναι πρὸς τὸν νεώτερον Πτολεμαῖον* (cf. c. 18. p. 4), Demetrium fugientem adiuvisse dicitur (c. 20. 8. ss). Iam quaeritur, ad quam partem anni 162 fragmenta spectent. Atque primum quidem ad ipsum anni initium referri nequeunt, et propter ultima exc. A. 114 verba *καὶ τὰ μὲν κατὰ τὴν Ἰταλίαν ἐν τούτοις ἦν*, et ideo, quod ipsa Cn. Octavii caedes, quantum e rebus Syriacis elucet, anno 162 demum tribuenda est. Contra ad exitum anni quominus fragmentum referamus, tria argumenta prohibent: primum — siquidem fere eidem tempori excc. A. 113 et 114 tribuimus — quod Physcon inter senatusconsultum acceptum et anni exitum varias res in Graecia et Aegypto gessit (cf. A. 115. 116), alterum, quod Menyllus ineunte anno 161, vel, quod fere idem est, exeunte a. 162 non Romae versabatur, sed denuo Romam petiit (A. 117. 1. *ἧκον*), tertium, quod Demetrius, quo consilium celaret, sues se venaturum esse simulavit (c. 22. p. 3), quos venari non licet exeunte anno i. e. mensibus aestivis

secundum Polybianam rationem. Quae cum ita sint, utrumque fragmentum ad annum 162 medium i. e. ad mensem Martium fere secundum nostram rationem refero. Aliqua profecto difficultas residet, nam etsi concesseris, Antiochi legatos non post Torquatum et Merulam egressos Romam venisse, tamen vix tibi persuadebis, Demetrium quoque antea aufugisse. Tum vero statuendum est, Menyllum non una cum legatis Romanis Roma excessisse, sed eo consilio, ut fugam Demetrii adiuvaret, ibi remansisse. Haec vero sententia, etsi diversis argumentis defendi, tamen non sine audacia ferri potest.

Restant Suidae verba *ὁ δὲ Δημήτριος προσανέχων τῇ παρουσίᾳ τοῦ διαποσταλησομένου πρὸς αὐτόν* (c. 23. 13). Quae verba Schw., cum fragmento A. 114 inseri non possint, contra optime ad Diodorum Demetrii educatorem, quem praemisit in Syriam (20. 2. 21. 1), referantur, ad Demetrium in Lycia versantem (Zonar. IX. 26) suo iure retulit. Danda erunt anno 162 exeunti (aut ineunti a. 161) et profecto ex Syriae non ex Italiae historia originem duxerunt. Nihilominus non iniuria excerpto A. 114 proxime annectuntur, quia sine audacia contendere licet, res Demetrii uno tenore esse narratas [12]). Iam dico locum habere exc. V. 140 (c. 15a), quod respondet Diodori lib. XXXI c. 22 [13]). Fragmentum Diodori enim, quantum ex ordine excerptorum Peirescianorum perspicitur, annis 163—161 dandum est. Quo accuratius ex argumentis internis, quae vocantur, tempus constituere licet. Primum enim veri est simillimum, Artaxiam talia post mortem Antiochi Epiphanis molitum esse, quocum vivo illi profecto multo magis, quam cum rege Cappadociae res fuisset. Quod alterum est, a. 161 Artaxias certe negotiis multo gravioribus

---

12) Pol. XXX. 12a: *ἡμεῖς δὲ συγκεφαλαιωσάμενοι τὴν τούτου κάθοδον ἐπανάξομεν τὴν διήγησιν ἐπὶ τὴν εἰθισμένην τάξιν, ᾗ χρώμεθα παρ' ὅλην τὴν πραγματείαν· καὶ γὰρ νῦν ὑπερβάντες τὰ κατὰ τὴν Ἑλλάδα προελάβομεν τῶν κατὰ τὴν Ἀσίαν τὰ κατὰ τὴν Καππαδοκίαν διὰ τὸ μηδεμίαν εὔλογον ἔχειν διαίρεσιν τὸν ἐκ τῆς Ἰταλίας ἀπόπλουν καὶ τὴν ἐπὶ τὰ πράγματα κάθοδον τοῦ Ἀριαράθου.*

13) Diodori fragmenta secundum edit. Dindorfii (Lipsiae 1868) allata sunt.

occupatus erat — bellum contra Demetrium parabat (Diod. XXXI. 27a) — quam ut Sophenae insidias struxisset. Quocirca cum anno 162 Syriae rebus plane turbatis optima regni amplificandi occasio data fuisset, ad eum annum fragm. conieci. Praeterea duo fragmenta ex Aegypti historia petita A. 115 (cc. 25. 26) A. 116 (c. 27) aperte huc spectant.

Ex sequentibus fragmentis exc. A. 117 (XXXII. 1) manifesto anni 161 historiae tribuendum est, cum Comanus, qui exeunte anno 162 a Physcone Romam missus est (XXXI. 27), ibi adesse dicatur. In ceterorum ordine constituendo ab exc. A. 121 (XXXII. 5) proficiscendum est, quo *ἔτι πρὸ τοῦ χειμῶνος* Ariarathis legati coronam auream ferentes Romam venisse dicuntur. Hoc autem fragmentum et sequens A. 122 (cc. 6. 7) anno 159 danda esse, ut probetur, argumenta e Diodoro petenda sunt. Priori enim capitis 5 parti (pp. 1—3) ad verbum fere respondet Diodori l. XXXI. c. 28 incipiens a verbis *κατὰ τὴν ρνε ὀλυμπιάδα*, quae verba sine dubio ita intellegenda sunt, ut subsit »initio olympiadis CLV« vel »primo olymp. CLV anno«. Quae temporis significatio satis accurata quaeritur utrum excerptori aut Diodoro debeatur an ad Polybium redeat. Atque de excerptore, qui certe nulli alii rei minus operam dabat quam chronologiae, vix cogitari potest. Ad Diodorum igitur aut ad Polybium illa verba referenda sunt[14]). Prius si fit ad a. 160, si alterum, ad a.

14) Diodorum, quod ad olympp. rationem attinet, semper uno anno Polybium antecedere, ut demonstretur, paucissima sufficiant. Diodorus non ea, qua Polybius utitur, ratione olympiadibus historiam disposuit, immo olympiadum in temporum ordine constituendo rationem nullam nisi secundariam habuit. Ita enim singulos annos disposuit, ut olympionicarum qui dicuntur indice et archontum Atheniensium albo fastisque consularibus usus cuiusvis anni archontem cum consulibus Romanis componeret olympiadisque et olympionicae mentionem suo loco faceret. Exempli gr. XIX. 77. *τοῦ δὲ ἔτους τούτου διελθόντος Ἀθήνῃσι μὲν ἦρχε Πολέμων ἐν Ῥώμῃ δ' ὑπῆρχον ὕπατοι Λεύκιος Παπίριος τὸ πέμπτον καὶ Γάϊος Ἰούνιος· ἤχθη δὲ καὶ ὀλυμπιὰς κατὰ τοῦτον τὸν ἐνιαυτὸν ἑβδομὴ πρὸς ταῖς ἑκατὸν καὶ δέκα καθ' ἣν ἐνίκα....* Quam totam rationem ex Apollodori *χρονίκοις* Diodorum sumpsisse si dices, non procul a veritate recesseris (cf. XIII. 103. 4. 108. 1). Apud Diodorum igitur olympiadis annus semper ei anno astronomico respondet, quo medio ille incipit, contra Polybius semper initium anni

159 spectant. Equidem verba *κατὰ τὴν ρνε ὀλυμπιάδα* ad Polybium referenda et fragmentum ex anni 159 historia sumptum esse, duabus de causis contendo. Primum haec dicendi ratio Diodori usui non respondet, nam cum dictiones, quales sunt *κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον, κατὰ τοὺς αὐτοὺς χρόνους, κατὰ τὸν χρόνον καθ' ὃν*.. rarissime apud illum occurrunt, tum nunquam tali modo sola olympias affertur, sed eo, cuius exemplum adscripsi, modo unus quisque annus discernitur. Contra haec verba Polybii rationi quam maxime respondent, cuius rei praeter alios locos testis est l. XXIII. c. 4. Alterum argumentum ex Syriae historia petere licet. Ad eundem enim, ad quod Polybii A. 121 (c. 5) spectat, annum A. 122 (c. 6. cf. Diod. XXX. 29) pertinet (cf. Pol. XXXII. 3. 4). Demetrii autem legatos exeunte anno 161 Romam petiisse, nego accipi posse. Ex Polybio enim constat (XXXI. 19—23), Demetrium anno 162 medio Roma aufugisse; deinde e Zonara (ann. IX. 25 B) docemur, illum per Lyciam Syriam petiisse et Tripoli Apameaque urbibus potitum, tanquam a senatu ad occupandum regnum missum [15]), comparatis copiis Antiochiam sub potestatem subegisse adversariosque nullo fere resistente e medio sustulisse. Iam mea sententia proxime Diod. XXXI. 27a, quod ad temporum seriem pertinet, annectendum est, unde, quae postea Demetrio attigerint, perspicitur. Primum enim, quia Romanorum iussu venisse videbatur, regnum Syriae facile sibi comparavit, mox autem *γνωσθείσης τῆς πρὸς Δημήτριον ἀλλοτριότητος τῶν Ῥωμαίων* undique hostes et pericula ei exstiterunt. Nam non solum reges vicini sed etiam satrapae nonnulli duce Timarcho novo regi insidias paraverunt. Timarchus, cui haud pauci patrum largitionibus iampridem corrupti favebant, vel senatus consultum retulit, quo quantum ex mutilis Diodori verbis apparet, rex Mediae appellatus est. Qua ratione cum Romanorum auxilium impetrasset, copiis et sociis comparatis tam prospere cum Demetrio de principatu contendit, ut illum e

---

olympici ab hieme facit, quae verum initium sequitur (cf. p. 5). Ut aliis verbis utar, Diodorus initium anni olympici facit ab hieme antecedente Polybius a sequente, quo fit, ut unius anni spatio utriusque ratio differat.

15) *τὴν γὰρ ἀπόδρασιν αὐτοῦ οὐδεὶς ἐπενόει.*

Syria vel eiiceret. Nihilominus Demetrius, nescimus quo tempore et modo, denuo rerum potitus est: nam legatos Romam misit non auxilium petituros, sed qui coronam auream traderent et Romanorum amicitiam conciliarent (Pol. A. 120). Legatos autem istos a. 160 Romam petiisse me quidem iudice non sine magna audacia sumitur: nam hoc si statueretur, unius anni spatio Demetrius Roma aufugisset, bello parato regno potitus esset, Timarchus Italiam petiisset, bellum parasset, Demetrium fugasset, regno eiecisset, Demetrius regnum denuo recuperasset. Contra inde quoque argumentum evadit, quo sententia fulcitur, ex qua cc. 3. 4 anno 160 cc. 5. 6 a. 159 tribuuntur. Suspicionem profecto movet, quod Ariarathes senatum certiorem facit quomodo Tiberium suscepisset et Demetrius priusquam Romam legatos mittat, eundem Tiberium adit. Nam cum anno 162 Tiberius Roma egressus sit, unusquisque statuet, ipso anno 162 aut certe non post a. 161 eum in Asia minori versatum esse. Inde certe difficultas oritur, sed non ea, quae tolli nequeat. Nam primum Tiberius non recta via in Syriam missus est, ut res componeret, sed id negotium habuit, ut primum res Graecas recognosceret deinde in Asiam transvectus Demetrium et ceteros reges observaret, Galatarum res componeret, denique non statim intercederet, sed quid eveniret exspectaret et observaret. Iam si res Syriacas anni 162 et 161 funditus eversas respicimus, nonne concedendum erit, Tiberium per illud tempus in Graecia vel Rhodi (P XXXII. 4) versari potuisse vel debuisse, unde, id quod suum erat, observaret nec intercederet nisi in tempore et continuo omnia ad senatum deferret? nonne praeter perpetuum bellum Octavii recente caede, ut caute ageret, commovebatur? Quibus de causis equidem illi difficultati non nimium tribuerim, cum praesertim nihil fere in huiusmodi quaestionibus difficultate aliqua et dubitatione careat. — Fragmento A. 122 ad a. 159 relato e. A. 120 (c. 4) ad annum antecedentem referri deberi, non est quod moneam. Idem certe in exc. A. 119 (c. 3) cadit. Exc. A. 118 utrum anno 161 an 160 tribuendum sit, diiudicari nequit.

Ad annum 160 (ol. 154. 4) longius exc. P. 85 (cc. 8—16) pertinet, quo praeter alia de morte Aemilii Pauli sermo est.

Aemilium enim a. 160 vivis excessisse inde constat, quod eo anno ludi funebres ei acti sunt. Ceterum sine dubio inserenda sunt capitis 11 paragrapho quintae fragmenta illa (Ath. VI. 274 F. et exc. V. 142), quae in editionibus lib. XXXI capite 24 continentur. Cuius collocationis auctor Schweighäuserus illustris est, qui locum Athenaei — Vaticana nondum in lucem prodierant — primum quidem ad annum 161, quo lex Fannia opprimendae luxuriae gratia data est, referre voluit, deinde cum Athenaei verba *ἐν τῇ πρώτῃ καὶ τριακοστῇ τῶν ἱστοριῶν* suae fragmentorum in libros dispositioni non responderent, ad a. 162 coniecit, cum diceret, illis Catonis querimoniis, de quibus ibi sermo est, legem Fanniam provocatam esse [16]). Sed omnis dubitatio tollitur respecto exc. Vaticano, unde dilucide apparet, et ipsum et istum Athenaei locum ad commentationem illam de Romanae iuventutis moribus factam pertinere et ipsam lacunam, quae ibi exstat, explere. Primum in exc. Peir. inter verba *εὐχέρειαν* et *καὶ τηλικαύτη* exciderunt vv. Vaticani exc. *καὶ τοσαύτη τις ἀκολασία*, nam *ὅτι* in *καὶ* mutandum esse facile patet. Sequentia exc. Vat. verba mutila esse, praeter comparatum P. 85 duplex hiatus docet. Inserenda autem sunt inter *τηλικαύτη* et *ἐνεπεπτώκει* v. *τίς*, inter *ἐνεπεπτώκει* et *ἐκτοπωτάτων* vv. *περὶ τὰ τοσαῦτα τῶν* inter *ἔργων* et *τοῖς* subiectum, quod est *ἀκρασία*. Iam procedunt verba utroque fr. servata *ὥστε πολλοὺς μὲν ἐρώμενον ἠγορακέναι ταλάντου*. Quid respondeat illi *μέν* Vat. docet. Quae praeterea apud Athenaeum exstant verba *καὶ μειράκια δ'εὔμορφα ὑπερβαλλούσης ἀγρῶν τιμῆς*, ea Athenaeo deberi, non est quod moneam. Subsequitur altera exc. Vat. sententia, ubi in verbis *ἐφ' οἷς καὶ Μάρκος εἶπε* apparet verbum evanuisse, ex quo pendeat *ἐφ' οἷς*, sed coniectura, quam fecit Heysius, non opus est, quia ex Athenaeo facile additur *δυσχεραίνων*. Verbum finitum enim, quod vocant grammatici, vix locum habet, quia hiatus evaderet praeterea sane post *καὶ* ferendus sed subsequente diph-

---

16) Schweigh. ed. Pol. VIII p. 33. Eam sententiam certe non tulisset, si nota illi fuissent exc. Vaticani verba *Μάρκος ... εἶπε ποτε πρὸς τὸν δῆμον*.

thongo ει (ἐδυσχέραινε καὶ εἶπε) molestissimus (cf. Benselerum de hiatu disputantem I. 310. 46). Ultimis Vat. verbis optime adnectuntur ea, quae l. XXXII. c. 11. par. sexta continet. Integra igitur Polybii verba haec sunt:

5 .... εἰς τοῦτο τὸ μέρος εὐχέρειαν. καὶ τοσαύτη τις ἀκολασία καὶ τηλικαύτη τις ἐνεπεπτώκει περὶ τὰ τοιαῦτα τῶν ἐκτοπωτάτων ἔργων ἀκρασία τοῖς νέοις, ὥστε πολλοὺς μὲν ἐρώμενον ἠγορακέναι ταλάντου, πολλοὺς δὲ ταρίχου Ποντικοῦ κεράμιον τριακοσίων
6 δραχμῶν. ἐφ' οἷς καὶ Μάρκος δυσχεραίνων εἶπέ ποτε πρὸς τὸν δῆμον ὅτι μάλιστ' ἂν κατίδοιεν τὴν ἐπὶ τὸ χεῖρον προκοπὴν τῆς πολιτείας ἐκ τούτων, ὅταν πωλούμενοι πλεῖον εὑρίσκωσιν οἱ μὲν εὐπρεπεῖς παῖδες τῶν ἀγρῶν, τὰ δὲ κεράμια τοῦ ταρίχου τῶν ζευγη-
7 λάτων. συνέβη δὲ κτλ.

Ceterum iam Valesius adnotavit: »Huc pertinet obiurgatio illa Catonis, qui locus Polybii post ea verba quae hic attuli (ὥστε πολλοὺς μὲν ἐρώμενον ἠγορακέναι ταλάντου) positus mihi fuisse videtur«. Ad annum 160 praeterea exc. V. 143 (XXXI. 17a) pertinet, id quod ex serie Vaticanorum apparet. Haec ex annorum 160 et 159 historia sumpta sunt, quibus quae accedunt, postea videbimus.

Quod enim ad sequentia attinet, primum exc. A. 126 ad a. 157 spectat (τότε δὲ παρειληφότων τὰς ἀρχὰς τῶν περὶ τὸν Σέξτον Ἰούλιον), qua in re tenendum est, verba ab initio posita ὅτι ὁ βασιλεὺς Ἀριαράθης παρεγένετο εἰς τὴν Ῥώμην ἔτι θερείας οὔσης ad annum 158 referri debere, id quod et res ipsa — nam exeunte aestate magistratus non ineuntur, immo mensis Martius anni pontificalis initio anni astronomici respondet — et voces τότε δέ postulant. Docemur autem primis illis verbis, anno 158 medio Ariarathem a fratre Oropherne pulsum (Zon. IX. 24) Romam petiisse. Excerpto A. 127 (c. 24.) agi de anno 156 Quinti Marcii consulis nomen in fine commemoratum testatur. Iam quaeritur, cui anno dandum sit exc. B. 125 (c. 19), unde apparet, quibus de causis senatus Dalmatis bellum indixerit, quod consul ille Marcius (c. 24) gessit (cf. Liv. ep. XLVII).

Quod bellum cum anno 156 gestum sit »primum parum prospere postea feliciter« aut ipso anno 156 aut proximo antecedente indictum esse potest. Accuratius quo fragmentum spectet, verba par. 7 docent *ἔτος γὰρ ἦν τότε δωδέκατον ἀπὸ τοῦ πρὸς Πέρσεα πολέμου καὶ τῶν ἐν Μακεδονίᾳ πράξεων.* Ea enim de causa Polybius dicit senatum novum bellum suscepisse, ne nimis longa pace homines a bello abalienarentur. Unde apparet duodecimum annum ex eo tempore intellegendum esse, quo legiones Macedonia excesserunt, id quod anno 167 factum esse ex Livio satis constat. Quibus de causis *δωδέκατον ἔτος ἐκ τῶν ἐν Μακεδονίᾳ πράξεων* ad solum annum 156 i. e. tempus, quo ipsum bellum gestum est, potest referri. Iam cum vario eventu eaque de causa per non nimis breve temporis spatium pugnatum sit, necessario statuendum est, bellum indictum esse initio anni. Quod si fit, exc. A. 124 quoque quo spectet perspicitur, nam si initio anni 156 Gaius Fannius legatus Romam revertit, concedes antecedente anno illum Roma egressum esse.

Vertamus ad exc. Peiresciana 86. 87 (c. 21. 22) quae proxime nectenda sunt. Temporis vestigium exstare videtur 22. 5 ubi M. Aemilius Lepidus, L. Aemilius Paulus Charopem Epirotam a domo prohibuisse dicuntur. Nam cum antecedens excerptum 85 ad anni 160 historiam Italiae pertineat, et hoc ipsum ex illius anni historia Graeca sumptum sit, dixeris necesse esse et statuendum, Charopem partem quoque anni 159 Romae versatum esse, quo pervenerit anno 160, quia post eum annum Paulus non inter vivos fuit, et ante annum 159 quominus fragmenta ponamus, series excerptorum Vatic. prohibet [17]). Sed haec ratio parum firma est, nam de praeterito tempore illo loco agitur, vel, ut aliis verbis utar, de priore Charopis itinere, quod alterum secutum est, in quo Brundisii diem supremum obiit. Hoc ex ultimis c. 22 verbis apparet collato capitis 21 par.

17) 22. 9. *ὁ δὲ Χάροψ ἀναχωρήσας ταύτην μὲν τὴν ἀπόκρισιν ἀπεσιώπησε, γράψας δὲ πρὸς τὴν ἰδίαν ὑπόθεσιν ἁρμόζουσαν ἀπήγγειλεν ὡς συνευδοκούντων Ῥωμαίων τοῖς ὑπ' αὐτοῦ πραττομένοις.* 21. 4. *καὶ γὰρ καὶ τὸν Ἠπειρώτην Χάροπα συνεκύρησε κατὰ τὸν ἐνιαυτὸν τοῦτον ἐν Βρεντεσίῳ μεταλλάξαι τὸν βίον.* Cf. quae monuit Schweighäuserus VIIIa. pag. 77. 78.

quarta. Fragmentorum autem Peirescianorum ordinem si consulimus, nihil apparet nisi ponenda esse excc. 86. 87 in historia aut anni 159 — anno 160 quominus tribuamus, Vaticana obstant — aut anni 158, quia exc. 88 (c. 23), quantum diiudicari licet, ad a. 158 referri debet [18]). De anno 157 hac quoque de causa cogitari non potest. Eodem enim, quo frr. Peirr., excc. VV. 145. 146 (c. 20a) spectant, id quod c. 21. pp. 1—4 procul dubio docent. Iam sequens exc. Vat. 147, quod nescio qua de causa Bekkerus anno 154 tribuit et cap. 12a libri XXXIII exhibuit, constat ad a. 157 historiam Capadociae pertinere [19]). Simul vero apparet ex pp. 2. 3 (quas supra attuli), in hoc anno a consueta ratione ita Polybium recessisse, ut res Cappadociae illis, quae in Graecia acciderunt, praeponeret. Ergo si ad a. 157 VV. 145. 146 spectarent, certe hoc exc., quod est 147, sequerentur necesse esset. Cum antecedant, ad priorem annum debent referri. Equidem utraque frr. ad a. 159 conieci, cum parvum inter Charopis itinera intervallum ponendum esse censerem.

Medio anno 158 vidimus Ariarathem regno pulsum Romam venisse, et ineunte anno 157 in senatu de Cappadocia actum esse (XXXII. 20.). Ubi cum fratres una regnare iussi essent, Ariarathes ad Attalum Asiae regem fugit, cuius auxilio eodem anno 157 fratre fugato regnum sibi recuperavit (Zon. ann. IX. 24. Pol. XXXIII. 12a). Cum igitur annis 158 et 157 Orophernes regnum obtinuerit, ad alterutrum annum verba ab Athenaeo X. 440B servata (20. 9) referri debent; cum regem *βασιλεύσαντα* appellet Athenaeus, de solo anno 157 cogitari poterit. Simile quid cadit in exc. P. 88 (c. 23), quod certe ex mortui Eumenis descriptione morum petitum est. Illud quaeritur, quo anno Eumenes vita decesserit. Atque vix dubitari potest, quin anno 158 ille diem supremum obierit, nam et Ariarathes dato illo senatus consulto, i. e. non ita multo post anni 157 principium ad Attalum Pergami regem confugit (Diod. XXXI. 32b), et Attalus, etiam antequam ille aderat, Demetrio Syriae regi insidias struxit.

---

18) Cf. finem pag.
19) Cf. p. 25.

Porro fortasse statuere licebit, eo tempore, quo Ariarathes regnum amisit, Eumenem mortuum esse, et propter id ipsum illi omnia adversa cecidisse; nam principio quidem Eumenem ab Ariarathis partibus stetisse, ex Zonara satis constat. De exc. P. 89 (c. 23. 8.) quin ad annum 157 pertineat, vix quisquam dubitabit.

Quae restant excc. P. 90 (c. 25) A. 128 (c. 26) ad a. 156 spectare ut demonstremus, proficiscendum est a primo libri XXXIII cap. (A. 129). Quod fragmentum primum libri XXXIII esse, codd. Bav. et Neap. docent, cum appositum habeant »*λογος λγ*«; primum anni alicuius fragmentum esse, verba *ἔτι κατὰ χειμῶνα* indicant; ad primi olymp. CLVI vel a. Chr. n. anni 155 initium spectare inde apparet, quod par. 5 Aulus Postumius praetor dicitur, quem a. 155 praetura functum esse Cicero testatur[20]. Iam si hoc fragmentum ex anni 155 historiae initio petitum est, antecedens eiusdem familiae exc. 128 ad a. 156 referendum est. Deinde quia P. Lentulus, qui ineunte a. 155. Romam venit, sine dubio exeunte proximo anno ex Asia egressus est, exc. A. 128 necessario ad finem a. 156 pertinet[21]. Nec dubium videtur esse, quin exc. P. 90 (c. 25), quod editores proxime antecedere iusserunt, hoc suo loco positum sit; nam inde quod incipit a verbis *ὅτι Προυσίας μετὰ τὸ νικᾶν τὸν Ἄτταλον μετὰ τὸ παρελθεῖν πρὸς τὸ Πέργαμον*, contra A. 128 (c. 26) *ὅτι Ἄτταλος ἡττηθεὶς παρὰ Προυσίου*, quia a diversis excerptoribus composita sunt, nihil quod obsit evadit. Ceterum postea de hac re dicendi locus erit.

Quod ad ceteras libri XXXIII reliquias attinet, missis aliarum familiarum fragmentis, de excerptis, quae de legationibus dicuntur, reliquis videamus, quae apparet vulgari ordine procedere non posse. Hoc ut comprobem, initium faciam a fragmento Ursiniani ordinis 131, quod capiti quarto editores tribuerunt, ubi sermo est de Massiliensium a Liguribus vexatorum legatis Romam missis. Sequitur in editt. exc. A. 132, incipiens a verbis *ὅτι*

20) Acad. IV, 4. ... A. Albinum qui P. Scipione et M. Marcello coss. praetor esset.

21) *Ἄτταλος ἐξαπέστειλε μετὰ τῶν περὶ τὸν Πόπλιον.*

κατὰ τοὺς καιροὺς καθ' οὓς ἐξέπεμψεν ἡ σύγκλητος τὸν Ὀπίμιον ἐπὶ τὸν τῶν Ὀξυβίων πόλεμον, quo fragmento quaedam servata sunt, quae ad Ptolemaeorum dissidia spectant. Iam in editionibus sequitur fragmentum de bello inter Attalum II et Prusiam II gesto B. 133 (c. 6), deinde longius fragmentum B. 134 (cc 7. 8), quo, quali contumelia ac vi legati Romani a Liguribus affecti sint et quo eventu Opimius bellum Ligusticum gesserit, narratur. Quo ordine servato cum capite septimo demum dicatur post legatos ignominia affectos Opimius cum exercitu missus esse, quo spectent prima cap. 5 verba, prorsus me fugit; nam ea, quae capite 6 traduntur, et post Opimium missum (c. 5) et ante Opimium missum (c. 7. 8) accidissent, necesse esset, id quod plane sensu carere unusquisque videt. Contra omnia optime fluunt, si fragm. quod cc. 7. 8 continetur, inter caput 4 et 5 interponitur. Quo facto primum optime concinit finis capitis 4 cum initio cap. 7, qua in re quod denuo dicitur *Μασσαλιητῶν διαπρεσβευσαμένων πρὸς Ῥωμαίους κακῶς πάσχειν* .... offendere nos non potest, quia a diversis librariis excerpta composita sunt. Quod alterum est, prima quinti cap. verba iam habent, quo optime referantur, quia narratio de rebus ab Opimio gestis antecedit. Nec puto quemquam in argumentatione mea offensurum esse, nisi forte nimis verbosam dicet. Excerpto B. 134 a sua sede remoto, quaeritur, quo referendum sit antecedens eiusdem familiae exc. B. 133. Primum ante exc. A. 129 poni nequit, quia legati, quos Roma excessisse illud docuit, dicuntur Romam rediisse, deinde non post exc. A. 131 locum habere potest, quia — de qua re modo vidimus — frr. A. 131 B. 134 A. 132 arctissime inter se cohaerent. Quod tertium est, decem illi legati, quorum mentio fit, exeunte anno 155 vel ineunte a. 154 Roma egressi sint necesse est, quia non multo post initium a. 154 (*ἔτι κατὰ χειμῶνα*) in Asiam pervenerunt (c. 10). Quartum postremo indicium ex indole exc. A. 130 (c. 2) petitur, quod, cum arcte cum antecedente A. 129 coniugendum sit, anno 155 ineunti tribui debet. Quibus de causis apparet exc. B. 133 collocandum esse inter A. 130 et A. 131 et spectare ad initium anni 154.

Hoc loco ea examinanda sunt, quae Appianus de bello inter Attalum et Prusiam gesto praebet. De legatis enim Romanis, quos anno 155 Pergami a Prusia obsessos esse, ex Polyb. XXXIII. 6 apparet, in Appiani libro, cui inscribitur *Μιθριδάτειος*, cap. tertio continua narratio, parum ut semper accurata, sed nobis pretiosa exstat. Quam narrationem ad alium annum; quam 155 referendam esse, facile initio aliquis credat; nam neque de legatis et ipsis in urbe obsessis sermo est, et Nicephorium dicitur devastatum esse, id quod anno potius 156 factum esse Pol. XXXII. 25 docet. Verum legati Appiani sine dubio illis respondent, e quibus Centhonem, Hortensium, Aurunculeium nominat Polybius: primum quia utrisque mandatur, ut Prusiam a bello retineant[22]), deinde quia et apud Polybium et apud Appianum legati postea missi a Prusia, ut res reddat, postulant[23]). Sed accuratius videndum est de Nicephorio; nam facillime sibi aliquis persuadeat fragm. illud de sacris direptis (XXXII. 25), quod anno 156 tribuimus, huic potius anno dandum esse. Quod fieri posse compluribus de causis nego. Primum enim sine dubio ille, qui vitia et flagitia Prusiae componeret, non omisisset afferre illum violato iure gentium legatis Romanis insidias parasse et servis eorum manum intulisse. Deinde in illo fragmento dicitur *μετὰ τὸ νικῆσαι τὸν Ἄτταλον*, quod si anno 155 tribuitur, in Appiani historia ad quod referatur, omnino non habet, nam in Appiani verbis de proelio ante obsessam Pergamum prorsus nihil inest. Accedit quod legati exeunte anno Romam regressi non queruntur de Prusiae *ἀσεβείᾳ* sed de *παρανομίᾳ*, *παρασπονδήματι*. Sed quaeritur, quid sibi velit vastatio Nicephorii apud Appianum? Atque nulla eum iniuria afficimus, si res duobus annis gestas —

---

22) *προσέπεμπε τῷ Προυσίᾳ μὴ πολεμεῖν Ἀττάλῳ: ἐντολὰς δοῦσα κωλύειν τὸν Προυσίαν Ἀττάλῳ πολεμεῖν* Pol. XXXIII. 1.

23) Pol. XXXIII. 6 *ἐντολὰς δοῦσα διαλῦσαι τὸν πόλεμον καὶ τὸν Προυσίαν ἀναγκάσαι δίκας ὑποσχεῖν Ἀττάλῳ τῶν κατὰ τὸν πόλεμον ἀδικημάτων*: App: *πρέσβεις ἑτέρους ἔπεμπον, οἳ τὸν Προυσίαν ἐκέλευον Ἀττάλῳ τὰς βλάβας ἀποτῖσαι.*

Nicephorium direptum et legatos insidiis petitos — in unum contraxisse illum contendimus, cum indiligentiae vitium in rebus multo gravioribus commiserit[24]). Postremo — quod minime ultimo loco ponendum est — unde talis Appiani error originem duxerit, mea quidem sententia explicari potest. Re vera enim inter duas Prusiae expeditiones, quibus non modo Pergamum obsedit, sed etiam ultra exercitum duxit, discernendum est. In prima incursione contra Eleam exercitum duxit et inde per Thyatirensium fines pedem retulit (Pol. XXXII. 25). Iam Polybius tradit fuisse in conditionibus pacis postea initae (XXXIII. 11. 8.), ut Prusias res redderet Methymnaeis, Aegeatibus, Cymaeis Heracleotis, unde sequitur illis bello non parvum detrimentum illatum esse. Qua de causa cum priore expeditione ultra Eleam progressus non sit Prusias, fortasse de eo cogitari potest, Aegeatibus Cymaeisque altera incursione anno 155 facta bellum illatum esse. Appiani autem error sane nullo alio modo ortus est, quam quod res duobus annis gestas, cum fere eaedem essent, imprimis Pergamus utroque anno obsessa esset, in unum annum coartavit. Quod ut faceret eo facilius animum induxit, quia ipsi non una quaeque res accuratius pertractanda sed brevissima Bithyniae historia componenda erat. Ceterum ut hoc loco totam de Appiani chronologia quaestionem absolvam, primum cap. tertii enunciatum ad a. 156 pertinet, quae sequuntur (*μαθοῦσα-ἐπολιόρκει*) anno 155 danda sunt, quae restant ad a. 159 spectant. Bekkero sua ratio ipsi defendenda erit. Sed haec hactenus.

Polybii exec. B. 135. 136 ex anni 154 historia Asiae sumpta esse, iam non opus erit accuratius ostendere (cc. 10. 11). Deinde quod ad exc. A. 137. (c. 13) attinet, comparato A. 132, cum et ipsum ad Italiae historiam spectet, dubitabis, utrum ipsi anno 154 an sequenti tribuas. Videtur quidem anno 153 tribuendum

24) Ut alia quae abs re sunt omittam, summa indiligentia inde cognoscitur, quod nullo verbo dicit, quid Romanis legatis contigerit, quo aufugerint, quomodo senatus totius rei certior factus sit. Contra non dubitat affirmare, urbem tamdiu a Prusia obsessam esse, donec legati denuo Roma missi illum arma deponere iussissent (cf. Polyb. XXXIII. 10. 11).

esse, cum veri sit simillimum, Achaeorum legatos uno quoque anno de dimittendis captivis missos semper initio anni Romae versatos esse, contra si ad annum 154 fragmentum referretur, legati post Opimium contra Ligures missum Romam venissent[25]. Quam ob causam quamquam mihi quidem persuasi rem ita sese habere, tamen consulto verbum »videtur« praemisi, cum in universum vestigia eorum, quae his temporibus in orientis terris acciderunt, admodum parva et, quod ad temporum rationem pertinet, perquam dubia ad nos pervenerint. Illo fragmento ad a. 153 relato eidem a. 153 exc. A. 138 (c. 14), A. 139 (c. 15) anno 152 exc. A. 140 (c. 16) tribuenda sunt, cui rei quod obstet non est. Quae praeterea de excerptis de leg. moneam, non habeo.

Prorsus falso loco posita sunt duo fragmenta, quae supra iam attigi, VV. dico 147. 148 (c. 12a)[26]. Utrumque enim ad a. 157 referendum esse satis constat, id quod docent verba prioris fragmenti: *Ὀροφέρνης ὁ τῆς Καππαδοκίας βασιλεὺς... ἀπώλετο καὶ τῆς βασιλείας ἐξέπεσεν*, alterius: *τῶν πραγμάτων αὐτῷ ἀντιπιπτόντων*. Restant examinanda praeter Suidae et Athenaei locum exc. P. 91. 92. 93 V. 149. 150. 151. Excerptorum P. ultimum (c. 12), cum par. 6 *συνεργοῦντος Ἀττάλου* Prienensibus bellum illatum esse dicatur, apparet ad annos 156—154 spectare non posse, quia Attalus bello ipso oppressus alios persequi non potuit (Pol. XXXII. 25. 26. XXXIII. 1. 6. 10. 11). Referendum igitur erit ad a. 153 vel ad posterius tempus, nisi forte ad ipsum a. 154 spectat, quo exeunte Demetrium Ariarathis filium copias a patre Attalo auxilio missas (XXXIII 10. 1) bello finito contra Prienen duxisse, non inepte aliquis coniecerit. Nam quominus fragmentum anno 157 tribuamus, praeter exerptorum P. seriem verba *παρ' Ὀροφέρνους ὅτ' ἐκράτησε τῆς ἀρχῆς* (157) .... *ἀπῃτοῦντο κατὰ τοὺς ἑξῆς χρόνους* prohibent, quae ut aliquod temporis intervallum inter Orophernem regno depulsum et argentum, de quo sermo est, repetitum ponamus, videntur postulare.

25) cf. quae pag. 6 de senatu initio anni exteris legatis dato monui.
26) cf. p. 20.

Sed multo difficilior res est de ceteris fragmentis. Alterum exc. P. 92 (c. 3. 2), quo Archias a Ptolemaeo Philemotore (Diod. XXXI. 18?) Cypro praefectus insulam Demetrio prodere voluisse traditur, quod Schweighäuserus anno 155 tribuit, cum Freinsheimio ad a. 154 potius retulerim, ubi ad Cyprum imperio suo subigendam Syriae rex maxime animum intendere posset. Initio enim anni 154 Ptolemaeo Physcone (a Cyrenaeis?) regno expulso nova inter fratres Ptolemaeos dissensio orta erat, qua occasione data Archias ea quae moliebatur facilius exequi poterat. Accedit quod eodem anno et inter Rhodios et Cretenses bellabatur, et Pergamum, Bithynia, Cappadocia, Pontus, Graecae urbes bello implicitae erant (XXXIII. 10, 1. 11. 1, 2), ut tunc nemo, qui obstaret, videretur esse. Contra quibus de causis Schweighäuserus a. 155 fragmentum dederit, nec ipse significavit nec perspicere licet. — Quod superest fragm. P. 91 (c. 9) ad bellum inter Rhodios et Cretenses gestum (c. 11, 2 commemoratum) spectare, Schweighäuserus certe optime suspicatus est. Atque serie quidem excerptorum P. respecta aut ad 155, aut ad 154 annum referendum est. Jam cum in historia anni 154 piratici belli mentio fiat, de anno 155 autem nihil notum sit, dum alia argumenta desunt, anno 154 dandum erit. Hoc eo quoque fortasse comprobatur, quod inter naves, quibus Athenaeus Attali frater hoc anno Hellespontum petiit, *αἱ πέντε τετρήρεις Ῥοδίων τῶν ἀποσταλεισῶν εἰς τὸν Κρητικὸν πόλεμον* dicuntur[27]). Diodorus enim Rhodios clade a Cretensibus affectos esse tradit, quod si anno 155 iam factum esset, respecto eo quod sequenti a. 153 ab Achaeis auxilium petierunt, anno 154 Rhodios sociorum auxiliis potius adiutos esse, quam illis opem tulisse exspectares[28]).

Suidae locus quem capiti 3 Schweigh. inseruit, quo spectet, non est quod moneam; Athenaei verba (c. 13. 2) verisimillimum

27) post voc. *τῶν* librarii culpa excidisse videtur *ἄλλων*

28) Ceterum quod Schneiderwirth in libello de historia Rhodia p. 233 bellum piraticum annis 156—154 gestum esse contendit, illi viro docto defendendum erit. Qua ratione ductus illud statuerit, videlicet non perspicitur.

est ad ultima Demetrii tempora pertinere. Quod si statuitur, fragmentum referendum est ad a. 152, quo ineunte Alexandrum Balam bellum contra Demetrium parasse c. 16 docet. Ad posterius tempus vix coniici potest, quia ex libro XXXIII. petitum est, nec licebit statuere Polybium hoc libro ultra olymp. 156 processisse. Quibus de causis simul apparet, Demetrium ipso anno 152 regno pulsum et interfectum esse.

Exc. V. 149 (c. 15 a) ad quem annum pertineat, ut demonstretur, nonnulla Diodori fragmenta comparanda sunt. Primum libr. XXXI cap. 39 ad a. 154 spectat (App. Ib. 44), cum Fulvius Nobilior, qui primus contra Celtiberos exercitum duxit, iam mense Augusto anni 153[29]), aut, si nostram rationem sequimur, Maio vel Iunio clade affectus sit. Qua de causa exc. eiusdem familiae proxime antecedens (c. 38) cum ad Rhodios spectet, ex anni 155 vel prioris anni historia sumptum esse putabis. Sed inde quod res anni 154 narrantur, non sequitur ex illius anni historia exc. fluxisse, immo collata Polybii belli Celtiberici descriptione statuerim, Diodorum ea, quae annis 154 et 153 in Hispania acciderunt, comprehendisse. Posteriori enim tempori fragmentum vix dari poterit propter sequens exc. ex eadem familia sumptum, de qua statim videndum erit. Itaque quominus cc. 37 (Pol. XXXIII. 9) et 38 anno 154 tribuamus nihil obstat. Ad a. 153 vel 152, certe non ad eundem atque illa frr. annum c. 43 spectat. Equidem hoc fragmentum et, quod idem valet, Polybii V. 149 (c. 15 a) ad a. 153 retulerim, quo anno legati Romani missi sint, a quibus tibi facile persuadebis bello finem impositum esse. Ceterum ut quaestionem de bello piratico absolvam, Diod. c. 44 profecto arcte cum antecedente coniungendum est. Ultimum libri XXXI cap., quod fragmentum mancum continet, post a. 156 (c. 35) collocandum est. Agitur ibi de insula Siphno a Cretensibus subito oppressa et diruta. Cretenses vero sceleris poenas mox dedisse, nam ab hostibus deprehensos (?) cum *διὰ τὸ δεδιέναι τὰ μεγέθη τῶν σκαφῶν* noctu aufugissent, tempestate orta interiisse. Unde apparet hoc factum esse,

29) App. Ib. 45.. *ἐγίγνετο δὲ ταῦθ' ὅτε Ῥωμαῖοι τῷ Ἡφαίστῳ τὴν ἑορτὴν ἄγουσιν* cf. Fast Maff. (C. I. L. I. p. 306) ad a. d. x. kal. Septembr.

antequam (a 154) Rhodii *ὑπὸ μυδίων καὶ ἀκατίων παντελῶς μικρῶν παραδόξως συγκυκλούμενοι πανταχόθεν εἰς δυσχρηστίαν ἐνέπιπτον τὴν μεγίστην;* nam postea cur Cretenses magnitudinem navium longarum timerent, causa non erat. Dandum igitur est fragmentum anno 155, nec absonum videtur statuere hanc belli Cretici originem fuisse. Sed mittamus Diodorum.

Restant duo exec. VV. (150. 151. c. 17) quae propter argumentum nimis »gnomicum« certo tempori dari omnino nequeunt.

Quae adhuc disputavi, iis operam dedi, ut excerpta ad suum quodque annum referrem, nulla librorum unde fluxerint ratione habita. Iam fragmentorum ordine constituto meum est pauca de finibus singulorum librorum afferre. Qua in re proficiscendum certe est a vestigiis, quae libris mm. et Athenaeo hic illic servata debemus. Talia autem vestigia sunt haec: ad annum

ol. CLIII	167	XXX. 13 *ἐν τῇ τριακοστῇ* Athen. XIV. 615
	166	(XXXI. 3. 4. *ἐν τῇ πρώτῃ καὶ τριακοστῇ* Athen. V. 194)
	165	
	164	
ol. CLIV	163	XXX. 10 »*λογος λα*« cod.
	162	
	161	
	160	XXX. 24 *ἐν τῇ πρώτῃ καὶ τριακοστῇ* Athen. VI. 274
ol. CLV	159	
	158	
	157	XXXII. 20. 9 *ἐν τῇ τριακοστῇ δευτέρᾳ* Athen. X. 440
	156	
ol. CLVI	155	XXXIII. 1 »*λογος λγ*« codd.
	154	
	153	
	152	XXXIII. 13 *ἐν τῇ τρίτῃ καὶ τριακοστῇ* Ath. X. 440

Explicatione opus est in solo Athenaei loco (V. 194 cl. X 439), quem uncis inclusi. Quo loco vel potius quibus locis de Antiochi luxuria, qua in ludis triumphalibus usus est, docemur, nam eadem res fusius tractatur V. 194, ex Polybii libro XXXI sumpta dicitur X. 439. Jam et dubitari nequit, quin ludi illi anno 166 celebrati sint, nec ullo modo concedi potest, res illo anno gestas libro tricesimo primo descriptas esse, quia, cum etiam res anni 160 eodem libro narratae sint, septem annorum historia uno libro expressa foret, id quod respecta Polybii ratione ferri non posse dico. Quam dificultatem ut tolleret Schweighäuserus quidem excerptorum de leg. ordinem turbavit, quam rationem cum omnium maxime abhorream, aliud mihi remedium circumspiciendum est. Et duplex quidem medicina excogitari possit: prima, ut statuatur, Polybium de ludis illis fusius in anni 165 historia egisse, postea ad annum 163 narrata Antiochi morte in moribus illius describendis (Athen. X. 439) paucis ad eandem rem recurrisse, altera ut tota narratio ad a. 163 transferatur. Quarum rationum mihi neutra arridet, nam quod ad priorem attinet, duo Athenaei loci in singulis fere verbis concinunt, et Polybium tali modo sua ipsius verba repetiisse vix credi potest, alteram quominus accipiamus, ordo rerum a Diodoro (XXXI. 16. 17) servatus prohibet. Quae cum ita sint, equidem difficultatis tollendae nullam viam video nisi eam, ut de Athenaei auctoritate, aut certe de lectione, quae in libris exstat, dubitemus.

Quod si necessitate coacti sumimus, respectis ceteris, quae pag. 28 composui, vestigiis sine audacia dici poterit:

> libro XXX olympiadem CLIII, l. XXXI. olymp. CLIV, lib. XXXII olymp. CLV, lib. XXXIII olymp. CLVI fuisse descriptas.

Postremo omnium, quae de tempore et ordine fragmentorum comprobare studui, ut summam colligerem, tabulam adieci, qua ipsa quam profero series exhibetur, simul in libros et olympp. partitio perspicitur et demonstratur, me nullo modo singularum familiarum ordinem turbasse:

Lib. XXX.

CLIII	167	Italia		XXX 1
				2
			A. 93 [V. 133. 134]	3
				4
				5
		Graecia	V. 135	15 init.
		(Macedonia)		15. 1a
				15. 1
			Suidas	2
				3
				4
			A. 94	10
			V. 136	15. 4
			P. 80. 81	14
			Strabo	15. 5. 6.
		Aegyptus	A. 95	11
	166	Italia	A. 96	12
			A. 97	16
				17
			A. 98	18
			A. 99	19
			V. 137	18a
			Athenaeus	13
		Rhodus	A. 100	XXXI 1
			V. 138	28
		Syria	Athenaeus	3
				4
			A. 101	5
	165	Italia	A. 102	XXXI 2
		Graecia	A. 103	XXX 20
			P. 82	
	164	Italia	A. 104	XXXI 6
				7
			A. 105	8

Lib. XXXI.

CLIV	163	Italia	A. 106	XXXI 9
			A. 107	12
			A. 109	14
		Pergamum	P. 83	10
			V. 139	10a
		Rhodus	A. 110	16
			A. 111	17
		Cappadocia	A. 112	15
			B. 108	13
		Syria	P. 84	11

	162	Italia	A. 113	18
				19
				20
			A. 114	21
				22
			[Suidas]	23
		Armenia	V. 140	15a
		Aegyptus	A. 115	25
				26
			A. 116	27
	161	Italia	A. 117	XXXII. 1
		? Africa	A. 118	2
	160	Italia		8
				9
				10
				11
			P. 85 [Athen.,	[XXXI. 24]
			V. 142]	12
				13
				14
				15
				16
		Rhodus	V. 143	XXXI. 17a
		Asia	A. 119	XXXII. 3
		Syria	A. 120	4

Lib. XXXIII.

CLV	159	Italia	A. 121	XXX I. 5
			A. 122 [V. 144]	6
				7
		Graecia	V. 145	20a
			V. 146	
			P. 86	21
			P. 87	22
	158	? Italia	A. 123	17
		Pergamum	P. 88	23
	157	Italia	A. 124	18
			A. 126	20
		Capadocia	V. 147	XXXIII. 12a
			V. 148	
			Athenaeus	XXXII. 20.9
		Pergamum	P. 89	23.8

	156	Italia	A. 127	24
		Graecia	B. 125	19
		Pergamum	P. 90	25
			A. 128	26

Lib. XXXIII.

CLVI	155	Italia	A. 129	XXXIII. 1
			A. 130	2
	154	Italia	B. 133	6
			·A. 131	4
		(Liguria)	B. 134	7 8
			A. 132	5
		Pergamum	B. 135	10
			B. 136	11
		Rhodus	P. 91	9
		Cyprus	P. 92 [Suidas]	3
	153	Italia	A. 137	13
			A. 138	14
		Rhodus	A. 139	15
			V. 149	15a
		Asia	P. 93	12
	152	Italia	A. 140	16
		Syria	Athenaeus	13. 2

Ad certum annum referri nequeunt excc. VV. 141. 150. 151.

Pag. 19 pro vv. „et hoc ipsum ex illius" ponenda sunt „hoc ex subsequentis".

Sententiae controversae.

I.

Athenienses bello Chremonideo implicitos Ptolemaeus Philadelphus deseruit.

II.

Eumenem a. 168 cum Perseo de pace concilianda egisse, Mommsenius (hist. Rom. I⁴, 784) iniuria negavit.

III.

Antiochus II Syriae rex Epiphanis cognomine non indignus est.

IV.

Legati Romani a. 155 a Prusia Pergami non inviti obsessi sunt. (Pol. XXXIII. 6).

V.

Lustrum conditum fasti Capitolini parum accurate priori magistratus censorii anno tribuunt.

VI.

De Henrico IV. cum filio Henrico de principatu contendente Augustus de Druffel (libello Kaiser Heinrich IV. und seine Söhne inscripto) iudicium iniquum fert.

VII.

Quod in Aletrinatium titulo exstat SENATV — quod ad formam pertinet — ad locativum referendum est.

VIII.

In Polybii l. XXXIII. cap. 10. par. 3 pro *ἐπιστάσεως* restituerim *ἀνατάσεως*, quod Appianus praebet.